



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, MDCCXVIII**

Casus XI. Argumentum. Vocata à Fundatore familia sua ad Juspatronatus activum, aut passivum, an nomine Familiæ suæ veniat solùm familia effectiva disponentis, vel potiùs etiam alii de familia ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)



- do extraneum in filium eum admittere ad Juspatronatus, & præjudicium inferre illis de familia substituta venientibus ex propria persona, & jura sua à Fundatore metientibus *Molin. de primogenit. lib. 1. cap. 23. n. 31. Garz. de benef. lib. 5. cap. 9. n. 7. Rot. in Tridentina Juspatronatus 26. Martii 1703. S. Respectu, coram Eminentijs. Scotto.*
- 38 Sicuti reservato Jurepatronatus à Fundatore pro ejus consanguineis cum taxativa tantum, isti nec de communi omnium consensu possunt aggregare in parentelam aliquem extraneum, & hunc aggregatum perpetuò admittere ad Juspatronatus in præjudicium libertatis volitæ à fundatore in defectum eorum de sanguine, vigore dictæ taxativè tantum, *Lambertin. ubi supra dicto art. 9. nu. 12.* Ergo neque reservato Jurepatronatus pro consanguineis, & in eorum defectu substitutis aliis de familia extranea, poterunt iidem consanguinei de communi consensu adoptare extraneum, & huic perpetuò communicare Juspatronatus in præjudicium vocatorum de familia substituta.

## ARGUMENTUM.

Vocata à Fundatore familia sua ad Juspatronatus activum, aut passivum, an nomine *familie sue* veniat solùm familia effectiva Disponentis, vel potius etiam alii de familia contentiva.

## SUMMARIUM.

- 1 Beneficium de Jurepatronatus adjudicandum est Präsentato à veris, & legitimis Patronis.
- 2 Nomine familie suæ proprie venit familia effectiva, & propria Disponentis, non autem contentiva, concurrentibus præcipue conjecturis, de quibus n. 3. usque ad 6.
- 3 Juspatronatus familiare effectivum spectare debet ad habentes qualitatem sanguinis, & familie effectivæ.
- 4 Una, & eadem cognominatio familie potest habere diversas derivationes, & descendencias, & vocata à Testatore familia, venit illa, quæ est propria ipsius Testatoris.
- 5 Nomine familie venit femina etiam nupta in aliena familia.

- 10 Juspatronatus pluribus reservatum, inter quos nullus cadit dispar ordo successionis, censetur eis relictum equaliter, & pro virili.
- 11 Passivè vocatus ad Juspatronatus non indiget præsentatione Patroni.
- 12 Juspatronatus passivum relictum à Fundatore pro eis de familia sua, dicitur restrictum, & coarctatum ad eos de familia effectiva, & num. 13.
- 14 Non existentibus capacibus in linea effectiva Fundatoris, presentari potest, & debet à Patrono ille de familia contentiva.
- 15 Cappellania an, & quando dicatur Sacerdotalis actu, vel habitu, & num. 16. 17. & 18.

## CASUS XI.

Quidam Fundator in limine fundationis Beneficii reservavit Juspatronatus pro eis de sua familia, ac voluit, ut isti succederent in Jurepatronatus gradatim, & ordine successivo, nimirum prius masculi de sua familia, & postmodum foeminae; deinde in ejus testamento quo deceffit, instituit univerfalem hæredem proprium filium, qui vita functus reliquit post se unicam filiam, quæ se nupit in aliena familia. Vacato nuper Beneficio, hæc foemina unica de familia effectiva Fundatoris præsentavit ad Beneficium Titium Sacerdotem; verum quia contemporaneè ad idem Beneficium præsentatus etiam fuit Cajus à filio fratris ejusdem Fundatoris. Hinc quaero, an, & cui sit adjudicandum dictum Beneficium?

Censeo esse adjudicandum Präsentato à præfata foemina, ea ratione, quia Beneficium de Jurepatronatus adjudicandum venit Präsentato à veris, & legitimis Patronis; ad *Text. in cap. Decernimus 16. quest. 7. de quo supra Par. I. Can. V. Gloss. in cap. unic. de jurepat. in 6. Bero. in cap. Illud de jurepat. num. 3. Lambertin. eodem tract. par. 1. lib. 2. quest. 1. art. 4. Ventrigl. in praxi annot. 1. §. 3. nu. 12. Lotter. de re benefice. lib. 2. q. 14. n. 49.*

Quòd autem prædicta foemina descendens, & de familia effectiva Fundatoris fit vera, & legitima Patrona, clarè colligitur ex testamentaria dispositione ejusdem Fundatoris, qui reservavit Juspatronatus favore suæ familie, sive sint masculi,



2 li, five foemina: Nomine autem familia sua intelligitur solum familia effectiva directa, & propria Disponentis, non autem contentiva, & inflexa; & veniunt illi, qui sunt de propria familia, & profapia Testatoris, non autem alii de cognomine, qui sub alia familia proprie sunt, ut docent Bart. in l. Peto §. Fratres n. 1. de leg. 2. Paris. conf. 51. n. 5. & seqq. lib. 2. Surd. conf. 247. nu. 12. Menoch. conf. 106. nu. 226. & seqq. Ruin. conf. 153. n. 10. lib. 2. Rota dec. 362. n. 6. par. 5. rec. & in Mediolanen. Beneficii 30. Januarii 1711. §. Quid plus coram R. P. D. Ansaldo, & in Alexanen. Beneficii 11. Aprilis 1712. coram R. P. D. Aldrovando §. Nec subsistere.

Sicuti reservato Jurepatronatus à Fundatore pro descendentibus à sua linea; nomine linea intelligi debet de linea directa, non de inflexa, seu transversali, juxta Bald. conf. 171. volum. 3. Castrenf. conf. 199. nu. 2. Lotter. de re benef. lib. 2. q. 11. n. 61. Et ut quis habere possit Juspatronatus, non sufficit, quod sit de eodem cognomine, seu familia Fundatoris, Ruin. conf. 153. n. 10. lib. 2. Cuman. conf. 2. sed necesse est, quod descendat à dicta linea Fundatoris, Roland. conf. 23. nu. 39. & 40. lib. 4. Vivian. de jurepat. lib. 4. cap. 2. n. 33. & seqq. Et sicuti si fuisset reservatum Juspatronatus passivum à Fundatore pro illis de ejus familia, & disposuisset, quod isti præsentarentur ad Beneficium, Juspatronatus passivum diceretur restrictum, & coarctatum ad familiam effectivam, ad eum illi de hac familia præsentari, & præferri deberent à Patrono ad exclusionem eorum de familia contentiva, ut decisum fuit à Sacra Rota in Tridentina Cappellania 5. Aprilis 1715. §. Facile, & S. Vel saltem coram R. P. D. Cerro inferius impress.

3 Et quidem, quod Fundator voluerit hujusmodi Juspatronatus conservare, & pertinere ad eos de familia effectiva manifestè desumitur ex eo, quia magis dilexit familiam effectivam, quàm contentivam, & transversalem, dum illam instituit heredem in omnibus suis bonis, ac proinde reservando Juspatronatus familia sua, nomine familia præsumitur intellexisse potius de familia effectiva, quam amavit, quàm de familia contentiva, & illam huic præferre voluisse, ut docet

Paris. conf. 51. num. 20. tom. 2.

4 Eoque magis, dum Fundator reservavit Juspatronatus familia sua, & usus est dictione sua, quæ utpote ambigua, & referibilis ad diversas personas, referenda est potius ad personam Testatoris, & ad ejus descendentes, quàm ad transversales Paris. conf. 51. n. 34. tom. 2. Sicuti si Testator relinqueret uxori Juspatronatus, & post ejus mortem vellet illud pervenire ad ejus hæredes, & successores; dictio ejus potius intelligenda esset de successoribus Testatoris, quàm uxoris, juxta Text. in l. ex pacto in princip. cum gloss. ff. de aur. & arg. leg. Alexand. conf. 56. n. 2. vol. 1.

5 Insuper idem Fundator voluit, quod sua propria familia succederet in Jurepatronatus gradatim, & ordine successivo, & prius masculi de sua propria familia, & postmodum foemina: Ergo intellexit de familia propria, & specifica, non autem de generali cognominatione familiae, ut masculi de propria, & specifica familia excluderent foeminas, & foeminae succederent, & admitterentur talibus masculis non extantibus, ut arguit Paris. conf. 51. n. 18. tom. 2.

6 Hancque voluntatem Fundatoris, quod solum familiam effectivam admiserit ad hujusmodi Juspatronatus benè suadet observantia subsecuta, dum solus filius, quem instituit heredem, & non illi de familia transversali sui fratris, præsentavit Rectorem controversi Beneficii, qui Beneficium pacificè possedit usque ad diem obitus; quæ quidem observantia est optima interpretis voluntatis ejusdem Fundatoris, nimirum, quod voluerit Juspatronatus spectare ad eos de familia effectiva, sive sint masculi, sive sint foeminae, non verò, his extantibus, ad eos de familia contentiva, & transversali, l. si de interpret. ff. de leg. Rom. conf. 271. n. 4. Surd. conf. 140. n. 43. & conf. 362. n. 10. Rota dec. 362. n. 12. par. 5. rec.

7 Probato igitur hujusmodi Juspatronatus esse familiare effectivum, & esse reservatum eis de familia effectiva, non autem eis de familia contentiva, & transversali; sequitur per necessariam consequentiam, quod, cum præfata foemina, quæ præsentavit Titium sit descendens, & de familia effectiva Fundatoris; ad eam per-



pertineat hujusmodi Juspatronatus, utpote habentem qualitatem sanguinis, & familiae effectivae requisitam à Fundatore, juxta *Decium conf. 208. n. 4. Paris. conf. 48. nu. 9. lib. 4. Surd. conf. 63. nu. 15. lib. 1.*, & alios relatos per *Rotam decis. 267. num. 6. par. 6. rec.*, ac ejus Praesentato concedenda venit institutio ad exclusionem Caji praesentati à filio fratris Fundatoris.

Hic namque aspirare non potest ad hujusmodi Juspatronatus, quia non est de linea effectiva dicti Fundatoris, cui reservatum fuit Juspatronatus, sed de linea transversali, & contentiva; & licet habeat eandem cognominationem cum Fundatore, tamen dici non potest de linea, & familia effectiva illius. Ratio est, quia una, & eadem cognominatio familiae potest habere diversas derivationes, & descendencias, unam specialem, & propriam de domo ipsius Testatoris, aliam generalem de agnatione, familia, & cognominatione, & vocata à Fundatore familia ad Juspatronatus; illa tantum specialis venit, quae concernit propriam, & specialem familiam Testatoris, non autem illam generalem, ut praeter supra relatos, testatur *Paris. conf. 51. n. 10. tom. 2.*

Non obstat, quod saepedicta foemina sit nupta in aliena familia, & consequenter, cum dici non possit amplius de familia Fundatoris, sequitur, quod saltem per posterius succedere debeat filius fratris Fundatoris tanquam de cognominatione, & de familia: Quoniam licet hoc procedat, stante Statuto excludente foeminas dotatas, quo casu appellatione familiae non veniunt filiae nuptae, ut docet *Curt. conf. 39. n. 11.* tamen secluso praefato Statuto, terminus familiae continet omnes, qui ex eodem sanguine procreati sunt, & ex masculis nati, adeoque venit foemina nata ex masculino, & virili sexu, quae de familia Testatoris dicitur, etiam si sit nupta, & maritata, juxta *Alex. conf. 161. vol. 2. & conf. 56. nu. 4. vol. 1. Soccin. conf. 84. Rot. decis. 166. nu. 15. par. 6. rec. & in Lunen. Sarzanen. jurispatronatus 1. Februarii 1715. §. Vocatio coram R. P. D. Scotto, & alias auctoritates inferius relatas Cas. XIII. num. 9.*

R. P. D. C E R R O.

Tridentina Cappellaniae.

Ven. 5. Aprilis 1715.

**D**Imicantibus inter se Leonardo Sigismundo, ac Constantino Felice super adjudicatione Cappellaniae erectae ab Antonia Saracena; post tertium, acremque conflictum sub die 14. Maji anni proxime praeteriti ob suffragiorum praeponderantiam praevaluerunt jura Leonardi Sigismundi, ex fundamentis expensis in mea decisione, iis tamen revocatis ad censuram die 11. Januarii mox elapsi eadem redierunt difficultates, quae sicuti sub dicta die obicem praebuerunt Causae resolutioni, sic in hodierno iterato examine DD. in contrarium sensum deduxerunt pro recessu à decisis.

Juxta enim pia Fundatricis dispositionem nullo pacto subsistere videbatur privilegium illud, quod in praerita decisione adstruebatur Leonardo Sigismundo ex nominatione reportata ab Antonio, utpote seniore Leonardo Compatrono; Nam collatis invicem testamento, & codicillis ejusdem Antoniae Saracena, constitit, quod licet in testamento Juspatronatus activum relictum fuerit seniori ex familia Saracena in genere ibi -- *lasciando il jus di nominare &c. al più vecchio della famiglia Saracena*, adhuc in postremo codicillo de eodem Jurepatronatus honorati noscuntur -- *Antonio, e Leonardo, e loro descendenti maschi, sin tanto durerà essa loro famiglia*, quare cum istorum vocatio facta fuerit propriis, & appellativis nominibus, nec inter vocatos ullus cadat dispar ordo successionis, nequaquam compatibilis est cum praerelatione senioris, juxta id, quod dispositum fuerat in testamento, sed Juspatronatus relictum ambobus censetur aequaliter, & pro virili, ut optime tenent *Rip. consil. 10. 2. tit. de jurepat. conf. 6. n. 1. & 6. Lotter. de re benef. lib. 2. q. 12. n. 128.*, & testatur *Rot. coram Burat. decis. 481. n. 1. & ibi Adden. lit. A. & in recen. decis. 248. n. 2. & seq. par. 16. & in Mediolanen. jurispatronatus 3. Julii 1684. §. Verum coram bon. mem. Paulutio impress. apud Modern. Roman. discep. Eccl. 38. n. 9. & in Bononien. Beneficiorum de Castello 9. Junii 1713. §. Id ipsum cor. R. P. D. meo Ansaldo.*

Ve-



Verumtamen inutilis reddebatur inspectio ista, an nempe Juspatronatus activum spectaret ad utrumque juxta ordinem senioritatis, vel pro virili; quia quomodocumque res accipiat Patroni ædes liberas non habebant nominandi, quem maluerint; sed præcisè præsentare tenebantur unum de propria ipsorum familia: unde eis integrum minimè fuerat nominationem explere in personam Leonardi Sigismundi, posthabito Constantino Felice existente in eadem familia Patronorum, utpote filio Leonardi, & nepote Antonii, cui propterea debita est adjudicatio Cappellanæ controversæ, tametsi à Patronis præsentatus non fuerit, ex ea regulari juris propositione, quòd passivè ad

11 Juspatronatus vocatus nullus indiget Patronorum suffragiis, dum præsentatus, & præelectus dicitur ab ipso Fundatore, de qua passim *Rot. antiqua coram Crescent. decis. 7. de jurepatr. & moderna coram Bich. decis. 661. nu. 1. & in rec. decis. 122. nu. 2. par. 11. & in Valentina Beneficii 9. Januarii 1693. S. Moti, & 3. Aprilis ejusdem anni S. In nibilo, coram Reverendis. D. meo Molines, impress. apud eundem Modernum Roman. discept. Eccles. 7. sub n. 31., & in Nullius, seu Orbitellen. juspatronatus 13. Januarii 1696. S. primo coram R. P. D. meo Scotto Urbis Governatore, & in Sutrina Canonatus 21. Junii 1706. S. Cum enim coram Eminentiss. Priolo.*

12 Facile autem fuit ostendere Juspatronatus passivum restrictum, ac coarctatum fuisse ad familiam effectivam, & descendentiã dictorum Patronorum ex contextu ultimi codicilli, in quo Testatrix relicto jure nominandi, seu præsentandi prædictis Antonio, & Leonardo, eorumque descendentes in infinitum -- *sin tanto durerà essa loro famiglia -- eisdem præcepit -- ma ritrovandosi della stessa loro famiglia Sacerdoti, venghino preferiti -- subdendo postea -- ed estinta tal loro famiglia, vuole, ordina, e comanda, che il detto jus di nominare, e presentare caschi sotto le condizioni, come sopra, al prenominato Signor Giuseppe Francesco Saracino, figliuoli, e descendenti da loro maschi in infinitum: Quibus ex verbis vel arguendum est Fundatricem pari modo, quo Juspatronatus activum prius in testamento omnibus de familia Saracina indefinitè concessum re-*

strinxit ad personas Antonii, & Leonardi, eorumque descendentes, ac solum in istorum defectum voluit substituere Josephum Franciscum, ac ejus lineam masculinam, coarctasse etiam eodem ordine Juspatronatus passivum, cum nulla sit assignabilis ratio prædilectionis, ob quam diversimodè in uno, ac in altero immutare intellexerit, per ea, quæ in specie notavit *Rot. in recent. decis. 374. n. 20. par. 11. & in Auximana Juspatronatus 27. Junii 1701. S. Minusque cum seqq. coram R. P. D. meo Ansaldo, & in Interamn. Juspatronatus 22. Martii 1706. S. Ulterius coram R. P. D. meo Scotto, & in Hortana Beneficii 1. Junii 1708. S. Talisque coram Eminentiss. Priolo.*

13 Vel saltè existente in descendentiã Leonardi alterius ex Compatronis Constantino Felice, istum cogebantur Patroni præcisè ad Cappellaniam anteferre, attentis mox relatis verbis -- *ma ritrovandosi della stessa loro famiglia Sacerdoti, venghino preferiti a qualunque altro --* cujus familiæ appellatione ex vi dictionis loro, latine ipsorum dubitari non valet, quin veniat familia tantum effectiva in descendentiã dictorum Patronorum, juxta tradita per *Gratian. discept. 645. nu. 5. Card. de Luc. de jurepatr. disc. 24. n. 2. Vivian. de jurepatr. lib. 4. cap. 10., & docuit Rot. coram Emerix jun. decis. 1335. n. 4. & in Mediolanen. Beneficii 30. Januar. 1711. S. Quid plus coram R. P. D. meo Ansaldo, & in Alexanen. Beneficii 11. Decembris ejusdem anni S. Non attento, & 11. Aprilis 1712. S. Nec subsistere coram R. P. D. meo Aldrovando; Itaut illo neglecto haud queat substineri præsentatio Leonardi Sigismundi, qui uti filius Josephi Francisci existit in linea prorsus postposita, & solum invitata per posterius, ubi familia dictorum Antonii, & Leonardi penitus perimeretur -- *ed estinta tal loro famiglia &c.* quique propterea admitti non debet in concursu alterius descendentes à linea prædilecta, ad *Text. in l. cum ita S. In fideicommissio, ubi Glos. in verbo nominati sunt ff. de legat. 2. & dixit Rot. in Asten. Prioratus super institutione 20. Januarii 1708. S. Maxime cum duob. seqq. coram R. P. D. meo Lancetta, & 7. Decembris ejusdem anni S. Eoque magis coram R. P. D. meo Aldrovando, & in Faventina Juspatronatus 12. Maji 1710. S. Stante**



*S. Stante igitur coram R.P.D. meo Ansaldo.*

- 14 Absque eo quòd urgeat animadversio illa, quòd si prima vocatio limitata sic fuisset ad solos descendentes de familia effectiva; sequeretur, quòd istis non existentibus, liberum esset Patronis nominare etiam extraneum, quamvis in concursu, & ad exclusionem illius, qui existeret in linea contentiva. Siquidem, omiſſis aliis responsionibus, satis esset ad submovendum hujusmodi absurdum ipsa providentia, qua usa fuit Antonia Testatrix, dum extincta eorum familia, scilicet Antonii, & Leonardi, præcepit, ut idem Juspatronatus devolveretur sub prædictis conditionibus ad Josephum Franciscum, illiusque filios, & descendentes masculos, ac propterea quoties in linea dictorum Patronorum non adsint passivè vocati capaces nominationis, non ideo est in illorum facultate præsentationem explere in personam extranei, sed subingreditur linea Josephi Francisci immediatè substituta, non quia istius descendentes comprehensi intelligantur in prima vocatione Jurispatronatus passivi, sed quia peremptis lineis antecedentibus, fit locus substitutioni descendendum ejusdem Josephi Francisci, cum in jure æquiparetur lineam esse extinctam, ac in ea non adesse capacem, ad firmata per *Surd. conf. 237. n. 3. Card. de Luc. de fideic. disc. 90. n. 3.* cum aliis per *Rot. in Romana fideicommissi de Massioli 20. Januarii 1702.*
- S. Ut minus coram R.P.D. meo Scotto.*

Negotium minimè facelcente, quòd supra relata verba codicilli -- *ma ritrovandosi della stessa loro famiglia Sacerdoti venghino preferiti a qualunque altro* -- nil aliud importent, quam prælationem Sacerdotis ubicumque existat in dictis lineis, nec ideo excludant, quòd per posterius vocati non censeantur alii de familia, licèt contentiva, unde subsumebatur in præterita contraria decisione.

*S. Quod si cum seq.* quòd dum Constantinus Felix, licèt de linea antelata, non erat actu Sacerdos de tempore sequutæ vacationis, impedimenti esse non poterat, quo minus aperiretur vocatio favore Leonardi Sigismundi jus sibi nanciscentis, æquè ex substitutione lineæ Josephi Francisci patris facta in eodem codicillo, ac ex appellatione Sacerdotis indefinitè conce-

pta in testamento pro omnibus de familia Saracena. Nam Domini iterum perpenſis prædictis verbis, non propterea ex sola nuncupatione *Sacerdotis*, quem mandavit præsentari, ac præferri ubi adessent de linea Patronorum, authumarunt Cappellaniam constitutam fuisse in statu Sacerdotali, in modum, ut requireret qualitatem Sacerdotalem actu, cum juxta constantem nostri Tribunalis sententiam frequentissimis Sac. Congregationis Concilii oraculis comprobata, ubi desint verba præceptiva celebrandi per se ipsum, vel prohibitiva nè Missæ per alium celebrari valeant, nominatio Sacerdotis, seu Presbyteri sub certo Missarum onere adjecta præsumitur ad demonstrandum Instrumentum, non autem qualificativè ad personam Sacerdotis pro celebratione Missarum, in qua plus attenditur opus operatum, quam operantis, ut ex originali doctrina *Lap. alleg. 35.* pluribus adductis *Rot. decisionibus, ac Sac. Congregationis resolutionibus, & præ cæteris in una Nepeſina Cappellania 16. Novembris 1708.* ubi per septem vices dictum fuerat ab uno Sacerdote de familia, quatenus adsit, sin minus ab aliis Sacerdotibus, qui quidem Sacerdotes sint Cappellani, videre est in *Cremonen. Beneficii 9. Martii anni præteriti coram R.P.D. meo Lancetta, & 4. Februarii nuper elapsi S. Ex Instrumento, coram me.*

- 16 Quòd si ex ipsa juris censura, ubi contrarium non exigat Fundatoris voluntas, desiderata non intelligitur qualitas Sacerdotalis actu, sed habitu tantum sufficiat, libentius adhærendum est legali huic præsumptioni in hypotesi, in qua illi non solum non resistit, sed potius Fundatricis mens famulatur. Ea quippe in testamento cogitando, quòd non adessent Sacerdotes in familia, impartita fuit Patrono facultatem -- *di far dire esse Messe per mezzo d'altro Sacerdote, sinche alcun altro d'essa famiglia Saracina ne sarà capace da poter esser nominato* -- & successivè in primo codicillo Patronis, quando justificari contigisset, permisit -- *di celebrare, o far celebrare per il detto tempo le sudette Messe per qualsivoglia Sacerdote tanto presentato a detto Beneficio, quanto non presentato* -- quamobrem perspicuè declaravit non requisivisse pro adimplimento injuncti



injuncti Missarum oneris Sacerdotium actuale, sed solum habituale, & in potentia, cui optimè congruit elargita permissio celebrandi per interpositam alterius Presbyteri personam, ut in specie adnotavit *Rot. coram Cels. decis. 367. n. 14. & 15.*, & in *Farsen. Canonatus 11. Decembris 1711. §. In prædictorum coram R.P.D. meo Crispo*, & in *Melphicten. Beneficii 21. Junii §. Quin potius, & 5. Decembris 1712. §. Incontrovertibilis coram R.P.D. meo Lancetta*.

17. Quin oppositum suaderi queat ab eo, quod servavit Fundatrix, dum in secundo codicillo prælegit pro primo Cappellano Constantinum, postquam ad Presbyteralem ascenderat ordinem, tamen ab Antonio, & Leonardo non descendente, ut inquit antedicta mea Decisio §. *Necessarium*. Quandoquidem cum ex aliis testamenti, & codicillorum locis non solum desumi non possit requisivisse Sacerdotium actuale, quinimo colligatur permississe celebrationem Missarum fieri per alium; non ex eo, quod prælegit Sacerdotem, referri hoc debet ad prærogativam Sacerdotii, quando non probatur, quod de eodem tempore adfuerint Clerici capaces istius Cappellaniæ in lineis Antonii, & Leonardi; sed tribuendum est privilegio consanguinitatis, ac vinculo sanguinis cum ipsa Testatrice, quo adstrictus reperiebatur Constantinus primus nominatus, utpote de familia prædicta Antonii, & Leonardi, quorum erat frater germanus; unde non recitè ex prima nominatione Cappellani collata in personam Constantini, licet Sacerdotis, deduci valet fuisse qualificatam Cappellaniam in statu Sacerdotali, ut sensit *Rot. in Ortonen. Beneficii 23. Martii 1708. §. Parum relevante coram R.P.D. meo Scotto*, & dicta *Melphicten. Beneficii 26. Junii 1711. §. Minus coram Eminentiss. Priolo, confirmata die 21. Junii 1712. §. Insubstituens coram R.P.D. meo Lancetta*.

28. Eoque facilius Cappellania adjudicanda est Constantino Felici, quia intra annum, & longè ante quàm superaccederet sententia Ordinarii favore Leonardi Sigisfundi Sacerdotali caractere fuerat insignitus, atque ideo eò minùs ille contemnendus erat, licet de tempore sequentis vacationis ea qualitate non polleret;

Par. II.

nam cum esset de genere à Fundatrice prædicta, sat erat potentia dictæ habilitationis, nè transitus fieri debuerit ad descendentes Josephi Francisci subsidiariè substitutos, per ea, quæ in proposito censuit *Card. de Luc. de Jurepat. disc. 82. num. 5*. Potissimum quia linea Josephi Francisci non aliàs invitata legitur, quàm extincta familia Leonardi, & Antonii; unde exuberat sola spes, quod adesse potuerint Sacerdotes in illorum descendencia, ut interim repellerentur alii de linea minùs dilecta, qui concurrere non possunt, nisi in casu desperatæ existentia Sacerdotis prius vocati, ut bene concludit *Carol. Ant. de Luc. de lin. legal. resp. 22. n. 5. Add. ad Greg. dec. 338. n. 16. vers. & in simili*, & conferunt decisa per *Rot. in rec. dec. 325. n. 5. par. 17*.

Et ita omnibus DD. suffragium ferentibus resolutum fuit utraque &c.

#### ARGUMENTUM.

Reservato Jurepatronatus à Fundatore favore *Primogeniti* de ejus familia, quis in eo succedere debeat, Primogenitus juris, vel potius Primogenitus facti? Etsi unico partu nascantur duo gemelli de dicta familia, quis eorum dicendus sit Primogenitus ad effectum succedendi in Jurepatronatus Primogeniali?

#### SUMMARIUM.

1. *Qua, & quot sint cause efficientes Juspatronatus Primogeniale?*
2. *Juspatronatus Primogeniale quotuplex sit?*
3. *Ad cognoscendum, an in reservatione Juspatronatus favore Primogeniti veniat Primogenitus facti, vel Primogenitus juris, attendenda est voluntas Testatoris, & num. 32.*
4. *Fundator reservando Juspatronatus favore Primogeniti, aut Majoris natu, in dubio, an præsumatur intellexisse potius de Primogenito naturali, quàm civili? & num. 15., & num. 26. usque ad 30.*
5. *Reservato Jurepatronatus favore Majoris natu familia, an in eo succedere debeat Patruus, excluso Nepote? Et an idem sit Major natu, aut Primogenitus, & num. 16., & num. 29. & 35.*

K

6 Jus-